

monias tam superstitiose persequuntur, ut pro parva adhuc injuria homines morte afficiant. Cum ergo justitiæ virtus non animo perturbato, sed integro judicio mandari debeat executioni temperamento rationabili quam maxime ordinatum fuit, ut non pars læsa, sed communis persona, omnique affectione libera injurias ulcisceretur.

Hic controversi solet, an cujusvis civium liceat privatim tyrannum extinguere cujus solutio pendet ex distinctione quam in præsentem adhibet Cajetanus. Dupliciter enim contingit aliquem esse tyrannum. Quidam est tyrannus in modo tantum regendi, sive regni, aut potentatus administratione, quam juste tamen adeptus fuit, ut pluries contingit quod veri domini tyrannice regunt, ad suam utilitatem omnia convertentes, discordias inter subditos seminantes, aut nutrientes ut ipsi lucentur, vel exaltentur: et talem non licet alicui privatim occidere: cum enim jus habeat ad regnum non est illo nisi per publicum judicium expoliandus. Aliter quæpiam contingit esse tyrannum in ipso jure domini, seu potentatus acquisitione, quia scilicet usurpavit sibi dominium vi armorum, vel alias inique, et talis a quolibet de populo licite occidi potest pro populi libertate, quando videlicet non est recursus ad superiorem a quo possit justitia fieri de hujusmodi invasore. Si enim respublica superiorem habeat ille ad eundem est ut remedio succurrat: sin vero illa potest in ipsum coarctari, et quilibet civium illum interimere. Talis enim tyrannus est hostis populi habens continuum bellum injustum populo, invasor namque illius est, et oppressor libertatis, seu juris publici, bellumque quo populum invadens seipsum nominavit dominum, aliosque coegit ad recognoscendum se ut talem, nulla est pace terminatum, nec regna interruptum, sed succumbens jacet populus: ergo bellum ex parte populi justum est, et ex parte tyranni injustum. Ergo quilibet de populo contra tyrannum insurgens bellum justum agit; ergo auctoritate justis belli, quæ est auctoritas publica quilibet civium illum juste interimere potest. Et sic Judicium tertio. Aioth persona privata occidit Eglon regem Moab pro liberando populo ab ejus servitute, et multa alia exempla, quæ videri possunt apud magistrum Bagnèz, et magistrum Soto libro v de justitia et jure.

In articulo quarto inquitur utrum occidere malefactores liceat clericis, et conclusio est negativa. Constat ex illo Pauli I ad Timoth. III: *Oportet episcopum sine crimine esse, non vinolentum, non percussorem*. Ratione probat illam dupliciter D. Thomas. Primo, quia clerici electi sunt ad altaris ministerium, in quo Christi passio recolitur, et Christus occisus representatur, qui cum percuteretur non percutiebatur; ergo percutere, seu occidere clericis non licet cum ipsorum capiti debeant conformari: secundo, quia clericis commissum est ministerium novæ legis, in qua quidem non determinatur pœna occisionis, vel mutilationis. Ut ergo idonei ministri sint novi testamenti a talibus debent abstinere.

Quo autem jure clericis effusio sanguinis interdicitur, solet in præsentem requiri. Breviter tamen dicendum existimo prohibitionem hanc solum esse de jure mere positivo ecclesiastico, Ecclesia enim id merito sanxit ratione decentiæ, et honestatis ad sacerdotale ministerium requisitæ. De quo Gratianus in fronte, distinctione XLV, ubi canone Neminem, et canone Episcopum eadem habetur prohibitio.

In articulo quinto inquitur, utrum liceat alicui occidere seipsum, in quo etiam conclusio est negativa, videlicet, nemini fas est seipsum occidere, et qui contra facit gravissimi peccati mortalis reus sit. Probat ex Augustino in primo de civitate Dei, capite XX, dicente: «Restat ut de homine intelligamus illud quod dictum est non occides, nec alterum; ergo nec te.» Ut ratione probet prædictam conclusionem tripliciter considerat hominem sanctus doctor. Primo, secundum se, et absolute: secundo, ut pars est totius communitatis, et reipublicæ; tertio, ut effectus Dei. Et omnibus istis modis consideratus homo semper graviter peccat se occidendo. Pri-

mo, quia si homo secundum seipsum consideretur, contra suam naturam, et inclinationem, et amorem facit si se occidat, quælibet enim res naturaliter se amat, et conservat se; ergo sui ipsius occisio contra naturalem legem, et contra charitatem existit: secundo, quia homo consideratus ut pars totius reipublicæ in bonum totius ordinatur, et id quod est, communitatis est, unde in hoc quod seipsum interficit injuriam irrogat communitati, ut ait philosophus quinto ethicorum: tertio, quia consideratus ut effectus Dei, vitam humanam habet tamquam donum divinum, a Deoque subindet pendet tamquam propria ejus possessio; ergo dum seipsum perimit in Deum peccat, sicut qui alienum servum interficit, in dominum peccat, cujus est servus.

In articulo sexto inquitur utrum liceat in aliquo casu interficere innocentem. Conclusio est negativa, constatque ex illo Exod. XXIII: *Insontem, et justum non occides*. Ratione probat sic sanctus doctor, nam vel homo secundum se consideratur, et sic nullum occidere licet, quia in quolibet etiam peccatore debemus amare naturam quam Deus facit, quæ per occisionem corrumpitur: vel consideratur in ordine ad bonum commune, et in ordine ad hoc fit licita peccatorum occisio; vita autem justorum est consecutiva et promotiva boni communis, quia ipsi sunt principalior pars multitudinis; ergo nullo modo vitam innocentem adimere licet. Doctrina est manifesta, proceditque de innocente, qui non solum est innocens in re, sed neque probatur nocens; non vero de innocente qui licet revera innocens sit legitime tamen probatur nocens. De hoc enim an sit licitum illum morte afficere disputari solet lib. V de justitia et jure, ubi videri potest magister Soto quæstione IV, articulo secundo.

In articulo septimo inquitur utrum liceat alicui occidere aliquem se defendendo, et prima conclusio est: Si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicita defensio. Ratio est, quia actus proveniens ex bona intentione finis si non sit proportionatus fini fit illicitus. Secunda conclusio: Si in defensionem propriæ vitæ, quis moderate vim repellat licita erit defensio: ratio est, quia secundum jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelæ. Tertia conclusio: Nulli privatæ personæ habenti solum privatam auctoritatem licebit intendere occisionem sui aggressoris: ratio est, quia hoc intendere solum pertinet ad publicam auctoritatem.

Quarta conclusio: Habenti publicam auctoritatem licitum erit in defensionem propriæ vitæ intendere mortem aggressoris: ratio est, quia sic intendens aggressoris mortem refert hoc ad bonum publicum, ut constat in milite pugnante contra hostes, et in ministro judicis pugnante contra latrones. Quinta conclusio: Adhuc isti si privata libidine moveantur ad hoc peccant. Sexta conclusio in solutione ad quartum: Actus fornicationis, seu adulterii non ordinatur in defensionem, aut conservationem propriæ vitæ ex necessitate, sicut actus ex quo quandoque sequitur occisio aggressoris.

In articulo octavo inquitur utrum aliquis casualiter occidens hominem incurrat homicidii reatum. Prima conclusio fundamentalis: Casualia in quantum hujusmodi non sunt peccata: ratio est, quia peccatum debet esse voluntarium; casualia vero in quantum hujusmodi sunt præter voluntatem. Secunda conclusio: Contingere potest ut id quod non est per se, et actu volitum sit per accidens intentum, aut voluntarium in quantum causa per accidens dicitur removens prohibens: ratio est, quia potest quis non remove causam homicidii, quam remove tenetur.

Tertia conclusio: Dupliciter potest contingere quod homicidium sit per accidens voluntarium; uno modo si quis det operam rei illicitæ; alio modo si quis det operam rei licitæ, non tamen adhibens sufficientem diligentiam. Quarta conclusio responsiva quæstioni: Si quis det operam rei licitæ adhibens sufficientem diligentiam, etiamsi sequatur homicidium non

incurrit homicidii reatum. Quinta conclusio etiam responsiva: Si quis det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ non adhibens sufficientem diligentiam incurrit homicidium reatum. Rationes pro his duabus ultimis conclusionibus sunt præcedentes conclusiones, quoniam sunt fundamenta istarum. Difficultates quæ circa prædictos articulos aliquo examine indigent sequenti disputatione pertingentur.

DISPUTATIO XI.

DE HOMICIDIO.

ARTICULUS I.

Utrum liceat alicui occidere seipsum?

I. Ratio dubitandi desumitur ex eo quod in articulo quinto in quo præsens dubium movet S. Thomas inefficaciter probari videtur conclusio illius; probat enim occidere semetipsum mortale peccatum esse, quia contra naturalem inclinationem fit: at non omnis naturalis inclinatio bona est; ergo contra illam facere non malum. Minor patet; tum, quia inclinatio humana in bonum delectabile naturalis est, nec semper bona, ut constat experientia; tum, quia speciem, et individuum conservare, sæpe numero malum est, eidemque resistere bonum. Unde virtus temperantiæ, ac fortitudinis, justitia etiam originalis ad refrænandas naturales affectiones nobis donantur; ergo inefficax est consequentia illa: Fit contra inclinationem naturalem; ergo est peccatum, aut restat probandum illam inclinationem esse bonam.

II. Pro explicatione dictorum, et dicendorum notandum est hominem duas ambasque naturales inclinationes habere, alteram ratione generis, alteram vero ratione speciei. Prima materialis est; secunda formalis, quæ quidem inclinationes

post naturam corruptam sunt sibi invicem contrariæ: *Caro namque concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem*, quia tamen illud alicui dicitur simpliciter naturale, quod formaliter, et secundum speciem convenit (quod enim competit materialiter, solum secundum quid competere dicitur) ideo fit, ut secundum rationem facere contra materialem, id est, contra sensualem inclinationem, ad hominis perfectionem pertineat. Quando ergo dicitur inclinationem, seu amorem vitæ, seu conservationis vitæ, naturalem esse intelligi debet secundum rationem, et consequenter contra illam inclinationem facere peccatum erit. Est enim inclinatio naturalis ad vivere, quia est inclinatio naturalis ad felicitatem consequendam, quæ quidem nisi per opera a vivente exercita haberi non potest. Relinquitur ergo peccatum esse semetipsum interimere. Ut tamen quale peccatum sit videamus.

III. Dico primo: Occidens sive mutilans seipsum aut proximum, peccat contra justitiam in ordine ad rempublicam et in ordine ad Deum. Itaque tale peccatum habet specialem malitiam in ordine ad hæc duo, nec est solum generalis, et communis ratio injustitiæ imbibita in omni peccato, sed est specialis in isto. Probatur primo in ordine ad rempublicam, quoniam etsi admittamus, quod ex mera hominum voluntate pendet rempublicam constituere, constituta tamen in ipsam transferunt homines totum suum jus, quod ipsi habent; imo quantum

ad hoc supposito quod rempublicam constituunt non est aliqua dependentia in republica a libera voluntate ipsorum, sed naturali jure habet rempublica potestatem, tum ad occidendum malefactores, et bonum commune procurandum, tum etiam jus speciale ad custodiendam vitam suorum civium. Ego qui seipsum, vel alterum occidit sive mutilat, jus reipublicæ violat, quod ipsa habet ad custodiam vitæ suorum civium.

IV. Neque ex his inferas, (ut male aliqui docuerunt) rempublicam habere dominium vitæ civium, non enim princeps, velut Deus potest innocentem in mortem adigere, quod ad rationem dominii esset necessarium, sed tantum ut reipublicæ propugnator, justique custos. Imo neque ipse homo fungitur absoluto suorum membrorum dominio, ut possit ea dum libuerit sibi amputare, sed ut custos vitæ potest illa objicere ad defendendum totum, ac pariter dum putrescunt rescindere. Ita Sotus libro v de justitia et jure, quæstione prima.

V. Ex dictis probata manet prædicta conclusio in ordine ad Deum, quia Deus habet speciale dominium vitæ, ita ut solus ipse sit vitæ dominus, ut dicitur Deut. xxxii: *Ego occidam, et ego vivere faciam*. Ergo peccatum se occidendi specialem rationem malitiæ habet in ordine ad Deum. Patet consequentia, quia hoc peccatum opponitur speciali rationi justitiæ.

VI. Dico secundo: Hæc malitia injustitiæ tam in ordine ad Deum, quam in ordine ad rempublicam non est malitia injustitiæ commutativæ. Ista conclusio quoad utramque partem videtur satis manifeste colligi ex doctrina D. Thomæ supra quæst. lxxix, articulo iii ad secundum, ubi D. Thomas probat peccatum occisionis sui ipsius non esse peccatum injustitiæ in ordine ad ipsum occi-

sum, quia justitia, cui opponitur per se, et directe injustitia non potest esse ejusdem ad seipsum, sic enim ait: « Aliqua persona singularis potest dupliciter considerari. Uno modo secundum se: et sic si sibi aliquod documentum inferat, potest quidem habere rationem alterius peccati, puta intemperantiæ, vel imprudentiæ, non tamen rationem injustitiæ, quia sicut justitia semper est ad alterum, ita et injustitia: alio modo potest considerari aliquis homo, in quantum est aliquid civitatis, scilicet pars, vel in quantum est aliquid Dei, scilicet creatura et imago. Et sic qui seipsum occidit injuriam quidem facit non sibi, sed civitati, et Deo: et ideo punitur tam secundum legem divinam, quam secundum legem humanam. » Ergo optime sequitur per similem formalem consequentiam, quod si particularis civis in ordine ad rempublicam non potest habere rationem justitiæ commutativæ in isto casu, nec etiam cujusvis hominis in ordine ad Deum est justitia commutativa, nec erit peccatum injustitiæ commutativæ, nec in ordine ad Deum, nec in ordine ad rempublicam.

VII. Quod vero non possit esse justitia commutativa in cive particulari ad suam rempublicam, nec in quocumque homine in ordine ad Deum, patet ex allegata doctrina D. Thomæ. Ergo optime sequitur juxta illam quod nec peccatum justitiæ commutativæ possit esse nec in ordine ad Deum, nec in ordine ad rempublicam, cum homo respectu utriusque comparetur ut pars, ut effectus, et ut inferior; justitia autem, et injustitia commutativa versari debet inter æquales.

VIII. Et si objicias cum magistro Bagnez: Nam bene potest esse aliquod peccatum contra aliquam specialem virtutem in aliquo homine,